



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1606. usque ad annum 1610

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1776**

**VD18 90118820**

§. 82. Urbs primulgato proscriptionis edicto a Bavvaris obsessa.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67222](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67222)

Sæc. XVII.  
A. C. 1607.

## §. LXXXII.

*Urbs promulgato proscriptionis edito  
a Bavaris obsessa.*

Cum igitur tumultuantium civium in-  
fania lenitatis curationem hauri  
amplius admitteret, Maximilianus Dux,  
quod Cæsaris clementia toties oblata  
non posset, id per obfirmatam armorum  
violentiam perfringere statuit, quocirca  
Ægidium Krichs, quem Dux Monachii  
Imperatoris nomine hac auctoritate mu-  
nierat, tanquam fecialem Cæsareum  
die duodecima Novembris Donawer-  
tham decrevit, eo fine, ut civitatem  
proscriptionis poena illigatam palam  
denuntiet, ejus cives Reipublicæ hostes,  
pacis publicæ violatores, contumaces,  
aqua & igni interdictos, omni civitate,  
Imperii beneficio, bonorum societate,  
& commercio exutos declaret, expo-  
natque tum corpora, tum fortunas om-  
nes liberæ omnium offensionis, & pal-  
sim, Ulmæ præsertim & Nördlingæ pal-  
lam proscriptionis programma affigat.  
Id ubi fœcialis Ulmæ exequabatur, a  
Senatu ad Curiam venire rogatus, man-  
dati sui literas exhibere jussus est: cum  
autem Ulmenses hunc ipsum a Cæsare  
eo fine jam bina vice decretum, nec-  
non a Bavarix Duce Cæsaris nomine  
nucc

nunc ablegatum haud ignorarent, hic eis Sæc. XVII.  
morem gerere recusabat, pollicitatione A. C. 1607.  
tamen facta, quod Senatus deliberatio-  
nem præstolari vellet, eo autem mo-  
ram trahente, urbe excedere parabat,  
redire tamen rogatus, Curiam acces-  
sit, ibidemque Ducis mandatum exhi-  
buit, quo spreto Senatus affixum pro-  
gramma abstrahi jussit, caussatus, id  
absque mandato in alterius territorio  
duntaxat privato conatu fuisse promul-  
gatum. Jam tum non modo Ulmæ,  
sed & Stugardiæ, Nördlingæ & alibi  
varii Protestantium conventus habeban-  
tur, ut junctis viribus Donawerthano-  
rum defensio armis susciperetur, jam-  
que eo fine haud contemnendus pedi-  
tum equitumque numerus sub signis ha-  
bebatur, etiam graviter Lutheranis Prin-  
cipibus apud Cæsarem & Bavarum que-  
rentibus, quod hæc lis, prætermisso  
Spirensi Tribunali contra Imperii & Cir-  
culorum leges, ad alienum tribunal per-  
peram fuisset pertracta, ac ne compel-  
lato quidem Suevicorum Ordinum con-  
ventu præpropere, caussis non satis ex-  
pensis fuisset judicata, perinde ac si per  
Cameralis, ut vocant, judicii erectionem  
suprema atque ordinaria Cæsareæ aulae  
jurisdictio, perpetua possessione firmata,  
omnique jure Cæsari competens fuif-  
set adempta.

§. LXXXIII.